

igni, vel (quod satius est) suo furno imponitur, & secundum gradus cœmentatur, quatuor, sex, octo, duodecim, vel viginti quatuor horis, imò etiam aliquot diebus (pro re nata) inibi conservatur, dato tamen spiraculo in summo, vel etiam pluribus, si sales fugaces, ut ammonius, sal petra & c. sunt in cœmento; alias opus disrum- pitur. Tandem, pixide infrigidatâ, eximitur, laminaeque à pulvere separantur, quæ totæ con- fractæ ac calcinatæ inveniuntur. Fines cœmen- tandi dependent ab artificis consilio, qui eo diri- git cœmentum, ut scilicet depuretur metallum, colore & constantiâ exaltetur.

Commixtio, quâ corpus corrodendum **Commixtio.**
cum pulveribus corrosivis commiscetur,
& igni postmodum admotum in calcem
redigitur.

Hoc est, quando corpori calcinando species
quædam, utpote sulphur, sal petra, sal commu-
ne, vel aliæ, commiscentur ac conteruntur,
quibus igni admotis, corpus in calcem redigitur.

Fumigatio est corrosio metalli per fu-
mum, vel vaporem acrem.

Fumigatio, secundum duplicem furni natu- **Fumiga-**
ram, duplex statuitur: quandoque enim sicco, **tio.**
quandoque humido vapore, res peragitur. Si cus
vapor est mineratum, & potissimum argenti
vivi, & plumbi; tum ad nobiliora metalla hac